

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3663

Auteur(s) : Alphonse de Brienne, Eu (comte)

Bénéficiaire(s) : Paris, Vauvert (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1261

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

D'après le testament de sa femme M[arie], comtesse d'Eu, Alphonse, fils du roi Jean de Jérusalem, comte d'Eu et chambrier de France, assigne aux frères de Vauvert de Paris, de l'ordre de Chartreux, une rente annuelle de 15 livres à percevoir du vicomte de Sept-Meules.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, p. 156, n° 710, n. 1.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Alfunsus, J. Regis Jerusalem filius, comes Augi et Francie camerarius, in Domino salutem. Notum facimus omnibus quod cum recolende memorie nobilis mulier M. quondam comitissa Augi, karissima uxor mea, compos mentis, reliquerit in suo testamento religiosis viris priori et fratribus Vallis Viridis Parisiensis, ordinis Cartusiensis, pro remedio anime sue, et antecessorum suorum salute, quindecim libras annui redditus, quas reliquit, ubi nobis placuerit, assignandas, nos itaque dicto testamento ejusdem comitis in hac parte gratum prebentes assensum, quindecim libras turonensium annui redditus ab ipsis priore et fratribus Vallis Viridis in puram et perpetuam elemosinam possidendas vel ab illo sive illis qui causam habebunt ab ipsis in vicecomitaturo nostro de Septemmolis assignamus in festo Sancti Remigii, singulis annis in perpetuum a dictis priore et Fratribus, qui pro tempore fuerint, vel mandato suo percipiendas, ab illo quocumque qui dictum vicecomitatum tenuerit, pacifice et quiete, ad sustentationem videlicet unius monachi sacerdotis in dicta domo Vallis Viridis Domino famulantis, qui pro salute anime nostre et antecessorum nostrorum necnon remedio anime clare memorie prenotate comitis et antecessorum suorum, et etiam pro liberis nostris, quos ex ea suscepimus, missarum, orationum, vigiliarum, et ceterorum fructuum placcabilium, que pater luminum inspiraverit, offeret in perpetuum altissimo domino hostiam salutarem. Ut autem redditus predictarum quindecim librarum cicius et liberius nuncio sepenominatorum priori et conventus annis singulis persolvatur, ordinamus et statuimus et mandamus, quod, quicumque vicecomitatum tenuerit supradictum, qualibet die a dicto festo Beati Remigii in qua distulerit solvere predictas quindecim libras turonensium, duos solidos turonensium pro expensis nuncii ipsorum prioris et fratrū solvere teneatur. In cuius rei testimonium et munimen, presentibus litteris sigillum nostrum dignum duximus apponendum. Actum anno verbi incarnati M^o CC^o LX^o primo.